Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

rane de domibus et de villis et de agris.
Congregaveruntque eas in inmensos ag-
geres et computruit terra. Videns
autem pharao quod data esset re-
quies ingravavit [illegible] cor
suum et non audivit eos sicut pre-
ceperat dominus. Dixitque dominus
ad moysen. Loquere ad aaron.
Extende virgam tuam et percute
pulverem terre et sint cinyphes in
universa terra egypti. Feceruntque ita.
Et extendit aaron manum suam
virgam tenens. Percussitque pulve-
rem terre et facti sunt cinyphes in
hominibus et iumentis. Omnis
pulvis terre versus est in cinyphes
per totam terram egypti. Feceruntque
similiter malefici incantacionibus
suis ut educerent cinyphes per totam
terram egypti et non potuerunt. Er-
antque cinyphes tam in hominibus quam
in iumentis. Et dixerunt malefici
ad pharaonem. Digitus dei est hic.
Induratumque est cor pharaonis et
non audivit eos sicut preceperat
ei deus dominus. Dixit quoque do-
minus ad moysen. Consurge di-
luculo et sta coram pharaone. Eg-
redietur enim ad aquas et dices ad eum
hec dicit dominus. Dimitte populum
meum ut sacrificet michi in deserto.
Quod si non dimiseris eum. Ecce ego
immittam in te et in servos tuos
et in populum tuum et in domos tuas
omne genus muscarum et imple-
buntur domus egyptiorum muscis
diversi generis et universa terra in qua
fuerint egypcii. Faciamque mirabile
in die illa terram gessen in qua po-
pulus meus est ut non sint ibi
musce. et scies quia ego dominus
in medio terre. Ponamque divisio-
nem inter populum meum et populum tu-
um. Cras erit signum istud. Fecit-
que dominus ita. Et venerunt mu-
sce gravissime in domum pharao-
nis et in omnes servos eius et in om-
nem terram egypti. Corruptaque est
terra egypti ab huiusmodi muscis.
Vocavit ergo pharao moysen et aa-
ron et ait eis. Ite sacrificate deo vestro
in terra hac. Et ait moyses non potest ita
fieri. abhominaciones enim egyptiorum
immolabimus domino deo nostro.
Quod si mactaverimus ea que colunt
egypcii coram eis lapidibus nos
obruent. Viam trium dierum per-
gemus in solitudinem et sacrifica-
bimus domino deo nostro sicut precepit
nobis. Dixitque pharao. Ego dimit-
tam vos ut sacrificetis domino deo
vestro in deserto. Verumtamen ne lon-
gius abeatis. Rogate pro me. Et
ait moyses. Egressus a te rogabo
dominum et recedet musca a pharaone et
a servis suis et a populo eius cras. Ve-
rumtamen noli me ultra fallere ut
non dimittas populum sacrificare do-
mino. Egressusque moyses a pha-
raone rogavit dominum. Qui fecit
iuxta verbum illius et abstulit mu-
scas a pharaone et a servis eius et
a populo eius. Non superfuit nec una
quidem. Et ingravatum est cor
pharaonis ita ut nec hac vice dimi-
teret populum.

IX.

Dixit autem dominus
ad moysen. Ingredere ad
pharaonem et loquere ad eum.
hec dicit dominus deus hebreorum.